

(4) *Imitare, o homo, obsequium, celeritatem, A dexteritatem, &c.*

USUS E VERSU XVI.

[1] *De nivis productione, figura, commodis ratione frugum, &c. consulendi Physici. item*
(2) *de pruina.*

USUS E VERSU XVII.

(1) *De grandine, ad hostes etiam puniendos nunquam proficua, item*
(2) *de gelu intolerabili, Physicos modò nominatos, ut & historicos consulere non pœnitebit.*
[3] *Vide, o homo, ne in corde tuo gelu extingvat cbaritatem: Matth. XXIV, 12.*

USUS E VERSU XVIII.

(1) *De verbo restitatur v. 15.*
(2) *Liquefacit Deus una nocte, qua infinitis ignibus liquefacere haut potuissent omnes fluviorum terrarumve decora & incola.*
(3) *Flumen congelatum, quod antea ferebat curvus atque iurmas, brevi tempore fit fluidum, atque à priori statu penitus diversum.*
(4) *De ventorum, præcipuè borealium atque australium, diversitate, rursus quotidiana loquitur experientia.*
(5) *Qualis est vicissitudo frigoris ac caloris, talis est crucis atque lucis: Tob. III, 22. Joh. XVI, 20. 21. Jes. XXVII, 8.*

USUS E VERSU XIX.

(1) *Aliud hic memorari Verbum, nempe revelatum, ab eò, quod mittebatur, v. 15. 18. prædicata satis evincunt utrobique. Noli itaque ob vicinitatem, unum pertinaciter adeo urgere significatum, confer vocem mundi Joh. I, 10.*

(2) *De verbi revelati mysteriis, necessitate, dignitate, fructibus, &c. consule L. de Verbo DEI scripto.*

(3) *Est hoc ipsum Verbum tum legale, tum evangelicum. L. de Lege & de Evang.*

(4) *Donum hoc nabilissimum ultimo repositum est loco, ut Job. II, 10.*

USUS E VERSU XX.

(1) *Prærogativa Israël, ab omni salutis commercio non exclusit gentes. Esto, Johannem evang. à JESU fuisse præ cæteris apostolis dilectum, non tamen propterea reliqui apostoli fuerunt exosi: Joh. XXI, 20. Licet Josephus duplum acceperit præ fratribus reliquis, non tamen extorres propterea reliqui fuere: Gen. XLVIII, 5. (Rom. IX, 4. 5. Deut. IV, 8. IX, 5. Jes. II, 3. Psal. CX, 2. &c.) Vide Rom. V, 12. seqq.*

(2) *Quo major tibi, o homo, præ reliquis concessa est felicitas, sive corporalis, sive spiritualis, eò circumspectior esto in bonis illis rectè locandis, quò plura concedita, eò gravior exigitur ratio: Luc. XII, 47. 48.*

PSALMI CXLVIII. DISPOSITIO.

Creaturae laudantes, Laudate cœli & omnia.

MEra hæc est ad Laudes divinas exhortatio, ubi (1) laudandus est *Jehova in excelsis*: (2) actus: *laudate*: (3) laudantes, (A) *cœlestia*: v. 1. speciatim (a) *omnes angeli ejus*: (b) *omnes exercitus ejus*: v. 2. (c) *sol, luna, stellæque lucide*: v. 3. (d) *cœli cœlorum*: (e) *aquæ supracœlestes*: v. 4. ratio: *ad ipsius mandatum creata sunt omnia*: v. 5. *in perpetuum stabiliuntur: statutum semel fixum non transgrediuntur*: v. 6. (B) *terrestria*, v. 7. (C) *balanæ*: (D) *omnes abyssi*: ibid. (E)

ignis, grando, nix, fumus, ventus, turbo, v. 8. (F) montes, colles: v. 9. (G) *arbores frugiferae, cedri*. (H) *animata: feræ silvestres, jumenta, reptilia, volucres*. v. 10. (I) *Homines: reges terræ, omnes nationes: principes, judices terræ, v. 11. juvenes, virgines, senes, pueri*: v. 12. (4) *argumenta seu rationes laudis: quia (a) solum Dei nomen est excellens: honor ejus super cœlum terramque eminent*: vers. 13. (b) *erexit cornu populi sui, laudemque sanctorum suorum, &c.*

PSALMUS CXLVIII.

EXPLICATIO VERSUS I.

Halleluja:) David hîc ludum aperit musicum, in quo ipse præcentor modulos præiret, ea lege, ut quælibet creaturarum succineret. In hunc ludum invitantur omnes angeli &c. *Drexel. t. 2. oper. f. 560.* Physicam Christianam inscribi posse Psalmum hunc censet *Coppen*. Hunc & sequentes duos Psalmos in fine laudum matutinarum in officio ecclesiastico quasi unum cantari, norat *Bellarminus*.

הללו *laudate*:) trina vice verbum hoc repetitur in versu hoc, æquè ut *Jehova* nomen *Psal. CXLVI, 8.* vide etiam *Psal. CXIII, 1.* Hoc ipso autem imperativo non imperium sibi arrogat *Psaltes* in creaturas, verùm quid eas-

dem deceat, significat, imò ad simile secum fubeundum officium invitat peramanter, autoritate divina.

השמים *è cælo*:) h. e. ut laus vestra è cœlis resonet; ita *Piscator. cœlites, Junius & AbenEsra.* (Lutherus: *ihv Himmel.*) vos creaturæ cœlestes, cœli, cœlorumque incolæ, *Belge.* ut *Apoc. V, 13.* *τῶν κτισμάτων, ὃ ἐστὶν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῆ* &c. Per cœlum *Stephanus* intelligit, quicquid supra terram eminent, ut sunt aër, æther &c. Videri possêt, hocce *השמים* non ad verbum *Laudate*, sed ad *Jehovam* pertinere, ut is appelletur *Dominus de cælo*, i. e. Pater cœlestis, de cœlis prospiciens, & illinc gubernans universa, *Psal. XIV, 2. xxxiii, 13. lxxx, 15. cii, 20. Deut. IV, 36. xxvi, 15.* Ita conveniret cum mox sequente: *laudate*